

## *Ennodius*

### *carmina 1, 4*

Orbe captiuo Venus alma fusis  
30 Dotibus florum per amoena ludens,  
Dum facit uernum pretio et micantis  
Sidere formae,  
Spreuit aurati decus omne pepli,  
Aduenae pompam noluit metalli,  
35 Ditior cultu stetit effugato  
Sparsa capillos.  
Nobilis si quod bibit arte uirus  
Lana, mentito potior colore,  
Dic! ita algentis pelagi lapillos  
40 Nuda superstat.  
Fulserant raro sub hiante filo  
Pectoris gemmae in roseis papillis.  
Inuidum membris dum negat amictum,  
Altera lux est.  
45 Proditum risit sine nube corpus,  
Carcere irrupto nituit serenum,  
Quodque seruabat male tuta uestis,  
Panditur arte.  
Aliger laxo remeabat arcu,  
50 Marcidam damnans otii faretram,  
Sanguine in nullo madefacta lensus  
Spicula gestans.

Tunc sic alloquitur matrem fluitantibus armis:  
"Perdidimus, genetrix, uirtutis praemia nostrar.  
Iam nusquam Cythere sonat, ridetur Amorum  
Fabula, nec proles nascenti sufficit aeuo.  
Frigida consumens multorum possidet artus  
Virginitas feruore nouo, sublimia carnem  
Vota domant, mundus tenui uix nomine constat.  
Primauei tremulos fractis imitantur ephebis.  
Rara per inmensos saeclorum, respice, campos  
Coniugii messis! per flores sola uetustas  
Exerit albentes iejuna et pallida canos!  
Vna fides rerum nulla dulcedine flecti  
60 Et, si quid teneros potuit transducere mores,  
Praeceptis calcare malis; seruatur ubique  
Iustitium; culpa est thalamos nominasse pudico.  
Tu remissa iaces et tanti nescia iuris  
Nuda per effusos respectas membra capillos.  
70 Surge, age, et obstantem properanter discute somnum,  
Ne te, quod turpe est, captiuum numen habere  
Iura pudicitiae uel lex malesuada putetur."

## *Ennodius*

### *carmina 2, 105*

Iure colis proprium natalem, pulcer Arator,  
Qui si non coleres, numquid arator eras?

## *Maximianus*

### *elegiae, 3*

Nunc operae pretium est quaedam memorare  
iuuentae  
Atque senectutis pauca referre meae,  
Quis lector mentem rerum uertigine fractam  
Erigat et maestum noscere curet opus.  
5 Captus amore tuo demens, Aquilina, ferebar  
Pallidus et tristis, captus amore tuo.  
  
Hic mihi, magnarum scrutator maxime rerum,  
Solus, Boethi, fers miseratus opem.  
Nam cum me curis intentum saepe uideres  
Nec posses causas noscere tristitia,  
Tandem perspiciens tacita me peste teneri  
Mitibus alloquiis pandere clausa iubes:  
Dicito, quando nouo correptus carperis aestu!  
Dicito et en dicti sume doloris opem  
55 Non intellecti nulla est curatio morbi,  
Vt magis inclusis ignibus antra fremunt."  
Dum pudor est tam foeda loqui uitiumque fateri

Agnouit taciti conscientia signa mali.  
Mox ait: "occulta sat pestis prodita causa est.  
Pone metum: ueniam uis tibi tanta dabit."  
60 Prostratus pedibus uercunda silentia rupi,  
Cum lacrimis referens ordine cuncta suo  
"Fac" ait "ut placitae potiaris munere formae."  
Respondi "pietas talia uelle fugit."  
65 Soluitur in risum exclamans "pro mira uoluntas!  
Castus amor Veneris dicio quando fuit?  
Parcere dilectae iuuenis desiste puellae:  
Impius huic fueris, si pius esse uelis.  
Vnguis et morsu teneri pascuntur amores,  
70 Vulnera non refudit res magis apta plague."  
Interea donis permulcat corda parentum  
Et pretio faciles in mea uota trahit.  
Auri caecus amor natuum uincit amorem:  
Cooperunt natae crimen amare sua.  
75 Dant uitiis furtisque locum, dant iungere dextras  
Et totum ludo concelebrare diem.

### *Gregorius I papa*

#### **Moralia in Iob, Ep. Leandro, 3-4**

**3.** Sciendum uero est, quod quaedam historica expositione transcurrimus et per allegoriam quaedam typica inuestigatione perscrutamur, quaedam per sola allegoricae moralitatis instrumenta discutimus, nonnulla autem per cuncta simul sollicitius exquirentes tripliciter indagamus.

Nam primum quidem fundamenta historiae ponimus; deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erigimus; ad extreum quoque per moralitatis gratiam, quasi superducto aedificium colore uestimus. Vel certe quid ueritatis dicta nisi reficiendae mentis alimenta credenda sunt? Quae modis alternantibus multipliciter disserendo ferculum ori offerimus, ut inuitati lectoris quasi coniuiae nostri fastidium repellamus, qui, dum sibi multa apposita considerat, quod elegantius decernit adsumat.

**4.** Diuinus etenim sermo sicut mysteriis prudentes exercet, sic plerumque superficie simplices refouet. Habet in publico unde paruulos nutriat, seruat in secreto unde mentes sublimium in admiratione suspendat. Quasi quidam quippe est fluuius, ut ita dixerim, planus et altus, in quo et agnus ambulet et elephas natet.

### *Gregorius I papa*

#### **Expositio in Canticum canticorum, 10-11**

**10.** Et sciendum quia in hoc libro quatuor personae loquentes introducuntur: sponsus uidelicet, et sponsa, adulescentulae uero cum sponsa, et greges sodalium cum sponso. Sponsa enim ipsa perfecta ecclesia est; sponsus dominus; adulescentulae uero cum sponsa sunt inchoantes animae et per nouum studium pubescentes; sodales uero sponsi sunt siue angeli, qui saepe hominibus ab ipso uenientes apparuerunt, seu certe perfecti quique uiri in ecclesia, qui ueritatem hominibus nuntiare nouerunt. Sed hi, qui singillatim adulescentulae uel sodales sunt, toti simul sponsa sunt, quia toti simul ecclesia sunt. Quamuis et iuxta unumquemque tota haec tria nomina accipi possint. Nam, qui deum iam perfecte amat, sponsa est; qui sponsum praedicat, sodalis est; qui adhuc nouellus uiam bonorum sequitur, adulescentula est. Inuitamur ergo, ut simus sponsa; si hoc necdum praeualemus, simus sodales; si neque hoc adepti sumus, saltem adhuc thalamum adulescentulae conueniamus. Quia igitur sponsum et sponsam dominum et ecclesiam diximus, uelut adulescentulae uel ut sodales audiamus uerba sponsi, audiamus uerba sponsae, et in eorum sermonibus feroarem discamus amoris.

**11.** Itaque, sancta ecclesia, diu praestolans aduentum domini, diu sitiens fontem uitae, quomodo optet uidere praesentiam sponsi sui, quomodo desideret, edicat:

*OSCULETUR ME OSCULIS ORIS SUI* (Cant. 1,1).

### *Laudes Mediolanensis civitatis*

Alta urbs et spacioa manet in Italia,  
Firmiter edificata opere mirifico,  
Que ab antiquitus uocatur Mediolanum ciuitas.  
Bonam retinet decoris speciem et uariis  
5 Rutilat culture modis ornata perspicue;  
Locus ita fructuosus constat in planiciae.  
Celsas habet opertasque turres in circuitu,  
Studio nitentes magnas scultantes forinsecus;  
Que introrsus decorata manet edificiis.  
10 Duodecim latitudo pedibus est moenium,  
Inmensumque est deorsum quadrata ex ruppibus,  
Perfectaque eleganter sursum ex fictilibus.  
Erga murum pretiosas nouem habet ianuas,  
Vincis ferreis et claves circumspectas nauiter,  
15 Ante quas cataractarum sistunt propugnacula.  
Foris ualde speciosum habet edificium,  
Omnem ambitum uiarum firme stratum silice;  
Vndam capit per ductorem limphe quendam balastris.  
Gloriose sacris micat ornata ecclesiis,  
20 Ex quibus alma est Laurenti intus alauariis  
Lapidibus auroque tecta, aedita in turribus.  
Haec est urbium regina, mater adque patrie,  
Que precipuo uocatur nomine metropolis,  
Quam conlaudant uniuersi naciones seculi.